

dehiscat, cum amarities summa adsit, forte tamen Cinchonae species sit; quaeso delinees fructificationem, ut videam et dicam certius.

239. Est certissime novum genus et valde singulare.

295. Videtur mihi admodum distinctum genus, *Ginora* etiam diversissima a reliquis est.

357. Est *Draco* arbor Loefl. p. 266 aut 273 genere conveniens cum sanguine *Draconis* Commelinii in Horto Amstelodam.

*Amerimnon*. Annon posset hoc genus conjungi cum *Dracone* praecedente.

*Psoralea* Pluk. 166. f. 2. laetor quod haec planta rite innotuerit.

470. *Umari*. *egregium* genus Papilionaceum fructu drupaceo, quod admodum mirabile.

*Diphysa*. non capio quomodo esse possit legumen utrinque vesica longitudinali, nisi esset quemadmodum in *Fumaria* scandente.

*Clusia*. annon observasti flores illos masculos, de quibus Loefling, et hos in omnibus speciebus Tuis. Optime video differentias harum 4 specierum.

Avidissime exspecto audire stupendas Tuas observaciones de animalibus.

Semina americana nulla alia habui, quam quae misisti in quatuor ad me datis literis, generoso et animo pollicitus es multa; si velles eos mittere cum tabellario egregium mihi praestares facinus, ut aliquam vivam viderem plantam quotidie in quotidianam Tui memoriam. Impensas quae das tabellario sancte restituam, mittendo ad legatum nostrum assignationem (wessel), quam primum rescivero quid dederis. tempus vernum jam adpropinquat, quo transgresso nimis sero advenirent.

Annon velles dicere tuam monantheram Strumpfiam. in memoriam optimi Strumpf, Botanici Hallensis, qui summo